



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1561. usque ad annum 1562

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 90118596**

§. 46. Arturus Desiderius Cleri Gallicani nomine libello supplici ad Regem Hispaniæ instructus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66624](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66624)

## §. XLVI.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1561.*Arturus Desiderius Cleri Gallicani*  
*nomine libello supplici ad Regem*  
*Hispaniæ instructus.*

Hic item Presbyter profligati pudoris *Thuan. hist.*  
homo a quibusdam Sorbonnæ Do-  
ctoribus incitatus, ut Religionis jactu-  
ram Galliis imminentem præverteret,  
Hispaniæ Regis patrocinium implorare  
decreverat: unde vesana temeritate im-  
pulsus libellum supplicem, dum Possia-  
cense colloquium celebrabatur, Cleri  
Gallicani nomine Philippo Regi porri-  
gendum composuit, atque in eo totius  
Ecclesiastici Ordinis nomine contra Cal-  
vinistarum potentiam hujus Principis  
opem implorabat, simulque suo scripto  
ea omnia inferebat, quæ Philippum ad  
Religionis studium excitare, vel Hispa-  
norum ambitionem titillare poterant:  
inter cetera vero præcipue exaggerabat,  
quod hæresis indies pluribus in locis  
tantopere invalesceret, ut a Rege puero,  
& infirmo, ejusque Consiliariis nunquam  
remedium satis validum, atque efficax  
opponi queat; quapropter Rex Catho-  
licus efflicim rogaretur, ut armorum  
vi auxilium Regi præstaret, simulque  
consideraret, quod ad exerendam suam  
bonitatem juxta, ac potentiam nunquam  
magis opportuna offerri posset occasio,  
quam



Sæcul. XVI.  
A C 1561. quam dum Clerus, atque ex Franciæ Nobilibus plurimi ejus patrociniū implorant, eique vitam, bona, libertatem, ac securitatem commendant, committuntque.

## §. XLVII.

*Arturus veniam precari a Regio  
Senatu jussus.*

*Thuan. l. 6.* **N**egotium hoc pluribus ea de re consiliis haud ultra secretum haberi potuit; itaque Regina de isto consilio edocta Arturum, qui ipse libellum deferre sponderat, in itinere comprehendi clam jussit; ergo prope Aureliam a Satellitum Præfecto captus ad Reginam deducitur, ejusque jussu hujus causæ cognitio ad Senatum devolvitur: Desiderius itaque interrogatus facinoris conscios prodere cogitur. Cum autem magis exactam hac de re quæstionem haberi minus tutum crederetur, eoquod quamplurimi primæ Nobilitatis Viri huic negotio impliciti essent, hinc Senatus totam rem Reginæ communicabat, quæ ejusdem quoque erat sententiæ: quapropter Desiderius duntaxat condemnabatur, ut capite, & pedibus nudus, ac facem ardentem præferens flexis genibus in die, ubi Curiæ congregatæ pro tribunali sedere solent, coram omnibus apparitore verba dictan-